



quasi lineas duxit *Job. Wilh. Petersenius*, mirorum factorum Teh-
ologus, veteris Origenismi, quo & Diabolis & hominibus dam-
natis reditus ad salutem asseritur, laboriosissimus restaurator. Is
enim cum eò urgeretur, quod Diaboli torquendi dicantur in o-
mnes æternitatum æternitates, von Ewigkeit zu Ewigkeit / incu-
sare Lutheri versionem occœpit, quod linguæ genium & literam
non exprimeret, quæ id tantum vellet, damnatos puniendos esse
ab unâ æternitatis periodo in secundam tertiamque, aut pro de-
licti ratione in quartam etiam atque ulteriorem, non verò in o-
mnem æternitatem, ut adeò vertenda sint verba: Von denen
Ewigkeiten zu denen Ewigkeiten. Quod quanquam & pueris ir-
ridendum sit palliando errori inventum, basiatorem tamen non
ignavum invenit *Casparum Ernestum Trillerum*, Scholæ aliquan-
do Ilfeldensis Rectorem, qui veteris correctionem, Petersenia-
no exemplo invitatus ad plurima Novi T. alia porrexit, neque in-
stituto sub isthoc involuero varios legentibus insinuandi errores,
neque Fanatico loquendi genere à Petersenianis diversa. Hinc
enatus ipsi est anno MDC XCIX. libellulus: Untersuchung etli-
cher Verter des N. T. die wegen bisher übler Übersetzung die War-
heit auffgehalten haben. Quem cum sui generis hominibus ob
rei novitatem haud displicere intelligeret, triennio post partem
alteram subiecit, cum hoc lemmate: Von behutsamer Anfüh-
rung der Heil. Schrift. Postremo nihil amplius cunctatus ca-
stigmatam ab omni nævo Lutherano Novi T. versionem Ecclesiæ
nostræ donavit: Eine mit dem Grund-Text genauer übereinstim-
mende Übersetzung des N. T. Anno 1703. Obstupescas, hunc ho-
minem, cum primum impietatis suæ specimen edidisset, il-
ludque non integro post anno censurâ suâ, in qua cum summâ
modestiâ veritatis Divinæ zelus æque certabat, castigasset con-
tubernalis tum meus, hodie Gustavoviensis Ecclesiæ Pastor, Pater-
næ gloriæ jam nunc ex asse hæres, *Job. Ebreusfrid. Pfeifferus*, qua-
si nihil ab ipso dictum fuisset, Fanatico nempe typho inflatum,
(b) 3 speci-